



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

IX. De Feriis. D. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](#)

„genda, sed ad causam ejusque decisio-  
 „nem procedendum. Et c. 3. Cum Pres-  
 „byter P. contra quosdam Nobiles quere-  
 „retur, quod pensiones Ecclesiæ suæ de-  
 „bitas non solverint jam tribus annis &  
 „ultra, ipfi petebant, quantum spatium  
 „per adjectionem ET ULTRA significaret,  
 „& Presbyter septem annis à solutione  
 „cessatum exprimeret, Nobiles dicentes  
 „libellum hac expressione mutatum, lon-  
 „giores ad deliberandum inducias petie-  
 „runt, usque denegatis ad Papam appell-  
 „larunt, qui appellationem hujusmodi  
 „frivolam reputans, mandavit eam non  
 „obstante in causa procedi. Ratio deci-  
 sionis est, quia cum Emphyteusis Eccle-  
 siastica ob non solutam per biennium  
 pensionem cadat in commissum, Nobiles  
 ob allegatos in libello tres annos satis de-  
 liberare poterant, adeoque ob aliquid  
 superflue ad substantiam non pertinens  
 additum dilatio non erat danda.

## T I T U L U S IX.

*De Feriis.*

**F**ERIAE sunt dies & tempora, quibus  
 Omne exercitium contentiosæ juris-  
 dictionis conquiescit ex statuto Legum  
 vel Canonum, sicutque vel Sacrae, qua-

cultui Dei & Sanctorum sunt dicatae : vel Profane , quae propter necessitatem vel utilitatem hominum sunt instituta , ut tempus messium , vindemiarum , &c. Actus voluntariæ jurisdictionis , ut dispensare , absolvere , &c. omni tempore exerceri possunt ; imo licet decretum citationis nequeat formari die feriato à Judice pro Tribunali sedente , quia est actus judicialis ; ejus tamen intimatio potest fieri per nuntium die feriato , quia est actus extra-judicialis. Ast si fiat citatio ad diem feriatam , v.g. Dominicam vel festivam determinate , est omnino irrita ; si autem ad certum diem mensis , in quem casu incidit festum mobile , v.g. Corporis Christi , citatus obligatur comparere proximo die sequente non feriato. An testes die feriato possint juridice examinari ? Disputant DD. apud Pirrh. n. 31. & 32.

2. H. t. speciale est Cap. 5. aut fin. ubi ait Pontifex : „Quamvis non prorogari sed „expediri deceat quæstiones seu lites , de- „bet tamen judicialis strepitus diebus con- „quiescere feriatis , qui ob reverentiam „DEI noscuntur esse statuti , scilicet diebus „Dominicis cæterisque solemnitatibus , „quas universalis Ecclesia , vel singuli „Episcopi in suis Diœcesibus duxerint „venerandas. Quibus (nisi necessitas ur- „geat,

## 206 LIBER II. TITULUS X.

„geat, vel pietas suadeat) usque adeò con-  
„venit ab hujusmodi abstinere, ut consen-  
„tientibus etiam partibus nec processus  
„habitus teneat, nec sententia hujusmodi  
„diebus promulgata; licet diebus feriatis,  
„qui gratiâ videmiarum vel messium ob-  
„necessitates hominum indulgentur, pro-  
„cedi valeat de partium voluntate,

3. Quomodo observandæ sint feriæ sacre  
quoad vacationem ab operibus servilibus  
& auditionem Missæ? Vide in Nucl. Theol.  
Exam. 19. n.s. & 2. Item de Feriis Nuptia-  
rum Exam. 29. n. 1.

## T I T U L U S X.

## De Ordine Cognitionum.

1. **P**er ORDINEM COGNITIONUM in præsenti  
venit modus & ordo servandus à Ju-  
dice in examine quæstionum in eodem ju-  
dicio circa easdem personas concurren-  
tium; pro quo à DD. statuuntur tres se-  
quentes regulæ:

2. **R**EGULA PRIMA: Quotiescumque  
una causa pendet ex alia, primò cognosci  
& pronuntiari debet super causa, à qua  
altera dependet. Hinc C. s. b. t. „Cum  
„quædam mulier aliquem peteret seu  
„vendicaret in maritum testibus adhibi-  
„tis, is verò exceptionem consanguinita-